

Matthias Hartmann Phrygenius Christophorus Iahnus

## **Pantognosiam Divinam In Quantum Illa Philosophicae Est Considerationis**

Rostochii: Weplingius, 1696

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn732462266>

Druck Freier  Zugang



*RU phil 1696*



49.

MEDIATORE HOMINUM PROVIDENTE!

PANTO.  
GNOSIAM  
DIVINAM

IN QVANTUM ILLA  
PHILOSOPHICÆ EST CONSIDERATIONIS  
AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

BENIGNE CONSENTIENTE  
IN PERANTIQA ET FLORENTISSIMA AD  
VARNUM ACADEMIA  
PRÆSES

M. MATTHIASHARTMAN-  
NUS PHRYGENIUS,

FURSTENB. MEGAPOLIT.

ET

RESPONDENS

CHRISTOPHORUS JAHNUS.

WUSTERHUS. MARCH.

IN AUDITORIO MAJORI D. 22. DEC. 1696.

PLACIDO AMICORUM COLLOQVIO CONSIDE-  
RANDAM SUBJICUNT



ROSTOCHII,

Typis JOH. WEPPLINGII, Univ. Typogr

49.

PHILOSOPHIAE  
PANTO  
GROSSAM  
DIVINAM

IN QUANTUM HIC  
PHILOSOPHIAE EST COMPARATIONIS  
NAMQUE HIC EST QUODAM MODO  
REBUS COMPARATIVE  
IN PERANTO ET PERANTO AD  
VALIUM ACQUILA

M. MAATHEMATICA  
DUS PHTYGENIT.

CHRISTOPHUS JAHNE

PHILOSOPHIAE  
NAMQUE HIC EST QUODAM MODO  
REBUS COMPARATIVE  
IN PERANTO ET PERANTO AD  
VALIUM ACQUILA

I. N. I.  
PRÆLOQVIUM



Initam, finiti Homi-  
nis scientiam, infinitam prædi-  
care velle, nihil forsan esset ali-  
ud, quam Creaturam appella-  
re æternam. Et tamen esse,  
qui hoc affirmant, dies probat  
atq; Sophorum Scripta. Ex-  
spatiemur cum Peripateticis in  
colloquium, & eorum nos hoc  
edocebit propria confessio.

Qua enim gloria magis tument, quam Magistros sele,  
non tantum scientes, sed omniscientes existere? Cumq;  
rationem quæras & fundamentum, promptissime Te ad  
Ajacem suum magnum deducunt, Aristotelem puto, ita  
hoc exhibentem; ὑπὸ λαμβάνομεν δὴ πρόβιον μὲν ἐπιστάδου μά-  
λισσε πάντῶν σοφῶν, ὡς ἐνδέχεται (a) Tales itaq; cum sint  
En! Nodo Gordio Te constrictum, quomodo  
expedies, aut quid repones? At vero periculum saltem  
facias instando: Non tamen singula Humano vel oculo  
vel intellectui sunt exposita, & tamen duplex hæc tan-  
tum datur sciendi via (b) unde igitur vestro? Et omni-  
scientiam eorum tunc exaudies non infinitam, sed fini-  
tam quidem, qua tamen nihilominus sciant omnia, non  
intentionaliter, specificè & in particulari, benè tamen  
realiter, genericè & in universali (c). Et satis acute  
hoc Philosophatum esse, hocq; modo calculum omnino  
sibi exposcere, non negabit, nisi vel μαρόσεφῳ vel ἄσο-  
φῳ. Rem tamen nec hæc ratione ex omni parte far-  
tam tectamq; esse si dixerò, nihil à veritate alienum  
dixerò; Manet enim adhuc intellectus humanus sua, ex  
lapsu, obfuscatione & ignorantia obrutus. Quot exti-  
tere

tere Scientes, qvi se tamen nulliscentes agnovere? Unicum modo audiamus Socratem, & constabit veritas asserri. Hunc solum Oraculum declaravit ἄρῶν ἀπάντων σοφώτατον, quam tamen laudem ita excipiebat: εἶδέναι μηδέν πλην αὐτοῦ ἴσθαι εἶδέναι (d). Hoc itaq; cum sit, quid remanet verius? Quam scientiam humanam esse nihil minus quam omniscientiam. At enim vero facta Omniscientiæ mentio, eandem verissime dari, aperte dicit; Imprimis Scriptura pariter ac Natura eandem satis superqve de Deo nostro affirmante. Hanc posteriorem itaq; eandem probandi, viam mihi elegi, ut, quantum Philosopho par est, de hac Omniscientia Dei edisseram; Optime enim hic animo infixum teneo illud Epicteti: Τάξον τίνα ἤδη χαρακτῆρα σαυτῶ καὶ τύπον, ὃν φυλάξῃς (e). Hoc observaturus, ea quæ de hac materia dixero bene, animo sincero & erecto, quæ minus bene, benigna interpretatione B. L. excipiat, ea, quæ decet, Humanitate rogo, speq; certa confido. Id tamen promitto, nihil me studio vel absurdi vel incongrui esse prolaturum, quanquam me Hominem esse omnino agnoscam. Id si impetravero, non saltem hæc vice παντογνωσίαν Divinam sistere, sed mox D. V. de qua ante audivimus, παντογνωσίαν Humanam, peculiari Dissertatione exhibere feliciter licebit. Operi interea dum manum admoveo, quod ex Lumine Naturæ probandum mihi sumsi, eum qui Pater Luminis est, seriis supplicibusq; veneror suspiriis, mentem imprimis meam calamumq; ita dirigat, ut nihil proferam, quam quod Veritatis innitatur fundamentis, quam quod Omniscientiæ, cordi inscribat perpetuam scientiam. Ita enim qualiscunq; hicce noster Labor (quem scopum unice habet) cedit in sui æterni Nominis, Omniscientiæq; gloriam, venerationem, studiorumqve nostrorum promotionem.

(a) *Aristot. l. 1. Metaph. c. 2. p. 1126.* (b) *Weis. Metaph. Cap. de Sign. & signat. axio. 3. p. 270.* (c) *idem. l. c. proæm. ax. 4. p. 4.* (d) *vid. Tob. Magira Flori leg. L. G. p. 2035.* (e) *Enchirid. c. 40. p. 95.*



§. I.

## IN DEO nihil esse, quod

non sit ipse Deus, Veritatis Veterum est regula. Nec absurditatis quid involvere putandum, si propterea Deum meram essentiam appellaveris. (a). Attributa enim ejus cum essentia realiter unum ideinque sunt, (b) Imo & inter se, adeo ut quocumque de DEO eloquimur Attributa, sint

illa, si respectum ad Deum habeas, non multa, sed saltem (c) Unum. Hoc autem non obstante, intellectus noster imbecillis duplici motus ratione, variâ sibi in Deo concipit Attributa; *Primo* enim respicit conditionem aliarum rerum: In quibus uti aliud esse deprehendit naturam s. substantiam rei; aliud, quod ad illam consequntur, ceu sunt proprietates, quibus res ipsa afficitur, & quasi formatur: Ita & in DEO concipit sibi *prima vice* Essentiam, cogitando quid sit Deus juxta illam, *altera* proprietates, quæ illi existenti velut accedant, ac accidentium instar afficiant eandem. *Deinde*, cum unica contemplatione infinitam Dei Majestatem comprehendere non potest, necessario, cum confuse ante quidem, sub conceptu primo, omnia in Deo quæ sunt, fuerat complexus, hæc in distinctas determinatasque perfectiones sibi secat, unumque post alterum sub distinctis notionibus ac formis sibi representat. Atque ita de DEO distincte loqui incipit ὅσον αὐτῷ ἐφικτόν. (d) In his autem ita procedendum est, ut quicquid de DEO concipiatur, absque ulla imperfectione ei attribuat. Cedro digna, de hoc, verba habet Epictetus supra laudatus, quando ita inquit: τῆς περὶ τὰς θεὰς εὐσεβείας ἰδού, ὅτι τὸ κυριώτατον ἐκ κοινῆ ἐστὶν ὁρθῆς ὑπολήψεως περὶ αὐτῶν ἔχειν. (e). Hujus itaque memores, & Omniscientiam Dei tantum nostræ considerationis fecimus objectum, cæteris attributis omnibus intactis jam relictis, & ita, ut quicquid de illa

A 3

recta

recta ratio s. lumen naturæ inquirere potest, unice, brevite  
tamen, proferamus.

- (a) Scherz. Brev. §. 24. p. 27. (b) B. D. D. Henr. Müll  
Theol. schol. c. 1. §. 10. p. 7. Magn. D. D. Fechtius Colleg.  
Theol. MSS. c. 3. §. 27. Excellens. D. D. Lindemannus noster  
Colleg. Metaph. MSS. à me 1693. excepto Cap. de Atrib.  
Entis. in dict. ad meior. 3. & 4. (c) Arist. l. 12. Metaph.  
c. 9. Heereboord. disp. ex Philos. select. volum. 1. Disp. 29  
thes. 2. p. m. 442. (d) Vid. B. D. Henr. Müller. c. 15. II.  
p. 9. (e) Enciridionejus legatur & quidem c. 38. §. 83.

§. 2. Antequam vero ad illius Descriptionem ulterio-  
remque explicationem accedamus, Nominis attendenda erit  
ratio. Et licet Etymon non semper ad probationem faciat,  
semper tamen ad cognitionem conducatur plurimum, iudice  
acutissimo Slevogto [f] illud hic addere omnino conveniret,  
nisi illud sese omnium insinueret intellectui.

(f.) Vid. Dissp. ipsius Academ. p. 1136.

§. 3. Hinc unice Ambiguitatem vocis : Scientiæ, evol-  
vamus necesse erit, quo eo melius appareat, qualem nos Deo  
attribuamus, quæq; sit nostræ considerationis subjectum. Non  
enim uno eodemque semper modo ista sumi deprehenditur. Ac-  
cipitur autem vel specialiter s. determinatè pro finita aliqua  
scientia & tum notat vel cognitionem physicè ab intel-  
lectu productam, vel cognitionem realiter productam ex præ-  
missis, vel cognitionem rei per causas (g) vel generaliter s. indeter-  
minatè, quomodo cognitionem certam & evidentem, absque  
ullo respectu vel productionis vel improductionis, vel distri-  
ctionis à potentia intellectiva vel cum eadem identificationis,  
notat. Priori modo sumtam scientiam nullatenus Deo ap-  
plicari posse, ipsi termini nemini obscurum relinquunt, cum  
id constat, cognitionem quæ in Deo datur, esse improductam  
esse realiter idem cum essentia Dei, vel Ethnico (h) teste. Quid  
quod illi recensiti modi sint unice accidens s. conditio intelle-  
ctus finiti, qui visibilibus (i) imprimis affixus est. Posteriori au-  
tem modo de DEO affirmari simpliciter iterum non potest,  
quia ita nihil aliud est, quam scientia ut sic, quæ cum non detur  
in

in ullo Ente, ergo nec in Deo dari potest, sed saltem in nostris est conceptibus. Hinc restringenda illa erit ita, ut Deo competere possit.

(g) *Vid. Heereboerd. disp. ex Phil. Select. Disp. 29. tb. 2. p. 442*  
*Slevoigt. l. c. disp. 17. sb. 32. p. 401.* (h) *Arist. l. 12. Metaph*  
*6. 9. conf. Magnif. D.D. Wolfius noster Disp. de DEO triuno.*  
*S. 19. (i) Johannes Reuchlin. lib. de Verbo Mirifico. c. 9. p. m. 60.*

§. 4. Hoc autem facturi, notandum est scientiam iterum esse vel discursivam vel non discursivam. *Priorem* Deo nemo tribuet. *Posteriorem* autem quod attinet illa notat cognitionem intellectualem certam & evidentem. Neque ita res evicta. Hæc enim ultima est iterum *vel Habitualia* quæ est qualitas quædam in intellectu, quæ intellectum faciliat s. potius potentiam intellectivam, ut actus suos eliciat: *vel Actualis*, quæ est ipsa actualis notitia certa, evidens & non discursiva, sive eandem considerem ut principium habitualis effectivum, sive ut ab habituali principiatum. Ultimam igitur hanc Deo adscribimus, prout notat actum realiter improductum & irreceptum, saltem hic nos essentiam divinam nobis concipimus per modum actus producti & recepti. Et hanc, vocis hujus significationem ipse Titulus (k) intendit.

(k) *Vox enim vivens notat certam atque infallibilem scientiam, notante Eduarðo Leigh. Critic. Sacr. part. 2. m. 66.*

§. 5. Hujus vero existentiam, ut ex ratione probemus, nostrarum jam erit partium. Ne autem hic proprii cordis testimonii (quod rationales creaturas attinet) in malefactis, oculum omnia cernentem extimescentis faciamus mentionem, sequentia saltem tria protulisse sufficiat: Nam *Primo* id recta Ratio dicitur: Deum esse omnium perfectissimum & omnia agentem. Jam vero ejusmodi summam perfectionem ingreditur quoque scientia s. cognitio omnium, quæ propterea Deo non est deneganda, nisi ex Deo (ut cum magno aliquo Theologo loquar (l)) vivens velis facere Brutum. Porro: omnis actio fit propter finem (m). Finis vero ejusmodi debet eidem esse vel ab alio præscriptus, vel non. Hoc autem in aprico positum, Naturalia agentia observato suo accuratissimo ordine & tempore propter finem se agere, de-

mon:

monstrare. Talia vero, finem suum præstituerè sibi non potuerunt, quia sunt causæ secundæ & dependentiæ, Ergo manifestum est, illis præscriptum esse à causa aliqua prima, quæ erit Deus. Hic autem, ut tam harmonicum & hæctenus interruptum ordinem ordinare possit, necessario summa scientia debet esse præditus (n). Quis enim ordinem instituet, cui nihil minus inest quam ipsa scientia, Cognitionis, Intellectus?

(l) *B. D. D. Heine, Müll, l. c. c. 10. §. 121. p. 104. (m) Sunt hæc ipsa verba Arist. l. 1. Ethic. Nic. c. 1. Weiss. Metaph. part. spec. c. 7. ax. 13. p. 314. Heereboord. l. c. 15. 2. p. 443. (n) Excell. Dn. D. Lindemannus in Colleg. Physicæ, anno. 1693 mibi cum cæteris discipulis part. spec. §. ult.*

§. 6. Addimus huic Secundo; Deum esse causam omnium, quæ fiunt (o) & quæ sunt, eundem hæc omnia provida sua cura (p) dirigere & sustentare, adeo, ut, si influxum suum in eundem subtrahere velit, nullatenus sibi ad (q) salutem suam sufficiant, quin potius in pristinum nihil relabantur. Talis vero, circa omnia, cura, & omnium notitiam præsupponit; Cum itaque & ex hoc constet, Deum esse causam omnium, esse eorum directorem, sustentatorem, infallibiliter ratio concludere docet, & omnium cognitionem eundem possidere h. e. in illo esse omni scientiam.

(o) *Arist. l. 12. Metaph. c. 8. §. 1. Met. c. 2. p. 1228. cons. Possewitz Theol. Schol. part. 2. c. 1. quæst. 3. p. 385. addatur Donati Pnev. c. 19. §. 20. seqq. p. 365. (p) Arist. l. 10. Ethic. Nic. c. 9. p. 73. Heereboord. l. c. Disp. 7. th. 4. seqq. p. 202. B. Dannb. Hodol. phæn. III. p. m. 301. (q) Arist. l. de Mundo. c. 6. p. 1211*

§. 7. Huc facit Terzio argumentum deductum à posteriori s. ab effectu. Prima enim Causa continet omnes perfectiones inferiorum in sese; juxta illud: Quicquid perfectionis est in Creaturis, etiam est in DEO (r). At vero tam Angeli, quam Homines Creaturæ sunt Dei: Proinde ut his, ita & DEO inerit Cognitionis & scientia; propter quod enim unum quodque est tale, illud magis est tale (s). Quæ omnia (licet pauca) argumento sunt dari omni-

omnino omnium rerum scientiam in Deo s. ut antea nobis  
audivit, Omni scientiam:

(r) *Calov. Met. div. cap. de perf. mo. 6. p. m. 192.* (s) *Weiff.  
Metaph. cap. de Causa & Causat. axiom. 13. p. m. 161.*

§. 8. Præmissis sic quæ præmittenda nobis videban-  
tur, feliciori jam pede ad ipsam rem progredimur, descrip-  
tionemque illius talem exhibemus: Omniscientia est attribu-  
tum Dei operativum, quo ille scit omnia cognoscibilia quacun-  
que fuerunt, sunt, erunt, aut ulla ratione esse possunt, qua-  
tenus scilicet cognoscibilia.

§. 9. Duobus hanc descriptionem absolvi concepti-  
bus *Communi* altero, altero *Differentiali* ipsa ocularis inspectio  
docet. *Priorem* quod attinet notandum eundem esse *vel*  
*remotum*, qui hic est *Attributi* nomen, *vel proximum*, qui in  
voce *operativi*, continetur. *Posteriorem* sinit *Objectum*,  
quod hic posuimus omnia cognoscibilia.

§. 10. Operæ omnino erit pretium terminos hicc  
occurrentes clarius explicuisse. Primas vero considerationis  
sibi expetit vox: *Attributum*. Illud igitur, ut essentia divina  
*Conceptus* primus (formaliter sumtum) appellari consuevit  
*Conceptus* Dei secundus. Ne vero & hoc vocabulum er-  
rori cuidam sit, ac si aliquid accidens in Deum collocet,  
illud iterum evolvendum est. Qua propter distingui hic cu-  
pimus inter *conceptum formalem*, ceu vocatur (f) qui est illa idea  
quam de Deo nobis in mente nostra, formamus, quique  
est veri nominis accidens. Et inter *conceptum objectivum* qui  
in ipso Deo ita est, ut vel nemine cogitante ei tamen inexistat,  
quique isti, in mente nostra, ideæ correspondeat, ac cum  
essentia Dei sit convertibilis.

(f) *Conf. Excell. Donat. Theol. Nat. c. 5. de Attrib. Dec. in genere*  
*§. 3. seqq. p. 138. 139.*

§. 11. Cum generaliter quidem hæc de voce *Attributi*  
*dicta* sint, & tamen constet attributa Dei, non uno eodemque  
modo dispelci, proinde juvabit & divisionem attributorum,  
paucis hic inspexisse. Non tamen istam divisionem, qua  
dividuntur in attributa *Essentialia* & *Extraessentialia* (u) in ne-  
gativa

B

gativa

gativa & positiva (w) multis examinare animus est; sed istam saltem adducam, quæ dividuntur in *Absoluta*, quæ ita appellentur, quod nullum ad creaturas respectum involvunt, ut e. g. Simplicitas, æternitas, perfectio &c. Et *Relativa*, quæ aliquem ad Creaturas respectum dicunt. Ultima hæc autem sunt iterum vel *Quiescentia*, aliàs *ἀνεργητικὴ* dicta, quæ quomodo Deus respectu creaturarum se habeat, definiunt, qualia sunt incomprehensibilitas, invisibilitas &c. vel *Operativa* l. *ἐνεργητικὴ* quæ dicunt, quid Deus circa Creaturas agat: Quando jam quæritur, ad quam nostrum, quod tractamus, pertineat, illud ad operativa pertinere asserimus.

(u) *Donat. Colleg. Metaph. MSS. c. 2. S. 6. (w). B. Müll. h. c. 1. S. 14. p. 11.*

§. 12. Considerata hæc sunt, quæ ad conceptum communem, quantum quidem necessum videbatur, monent, daerant. Sequitur nunc conceptus differentialis, quæ reliqua verba Descriptionis exhibent: Quo Deus scit omnia cognoscibilia quot fuerunt, sunt, erunt, aut esse ulla ratione possunt. Duo hic iterum erunt evolvenda, scilicet conceptus hujus tam *Materiale* s. objectum ac res ipsa circa quam versatur scientia Dei, quod sunt omnia cognoscibilia: quam *Formale* (alias ratio formalis, vel ratio sub qua) sive modus circa hoc objectum versandi, qui est, quatenus sunt cognoscibilia. Hic vero non abs ratione particulam restrictivam adjecimus. Notum enim hæc ipsa facimus *ἵνα* *Materiale* pro diverso respectu & aliis quoque Dei attributis subjici posse. Huic vel alteri per formale speciatim attribui.

§. 13. Edifferendum igitur specialius quid erit de *Materiali* s. *Objecto Omniscientiæ*. Illud autem in Scholasticorum Scholis satis acute divisum deprehenditur, dum illud dividunt partim in *objectum motivum*, quod ipsam essentiam divinam faciunt, cum Deus quicquid cognoscit, cognoscat per essentiam suam, tanquam motivam s. rationem cognoscendi se ipsum, & alia extra sese; partim in *terminativum* s. quod terminat ipsam cognitionem. Deinde alii faciunt objectum ejus *positivum* sub cujus nomine illis venit Tam Deus, quam cætera creata, & *Entia realia*; vel in *Negativum*, quod veri nominis

nis objectum non quidem est, cum non sub nomine Entis positivi à Deo cognoscatur. Denique alii simpliciter dividunt in *Primum*, quod rursus Deus est & quæ intra Deum sunt. Cum enim id intellectui Creato & materiali à Deo datum sit, ut eundem possit cognoscere, tam quoad essentiam, quam quoad attributa, quomodo Deus se ipsum non cognosceret? Quia ille præterea (ut verbis Magn. nostri D. D. Wolfii utar (x) inter omnia intelligibilia est perfectissimum, duratione primum, adæquans sua perfectione ipsam potentiam & actum cognoscentem: *Et secundarium*, quod est omne illud quod non est in essentia s. ipsa Essentia Dei (y). Huc spectant omnia Entia finita, tam actu existentia, quam præterita & futura & universalia & particularia s. sunt materialia s. immaterialia s. bona s. mala.

(x) *Disp. ejusd. de Scient. Mod. §. 12.* (y) *Cujusmodi distincti-  
onem exhibent B. D. D. Hein. Muller. l. c. e. 10. §. 123. p. 101.  
Svaretz. Disp. Met. Disp. 30. n. 19. Raynaud. Theol. Nat.  
disp. 8. quest. 1. Artic. 1.*

§. 14. Constat itaque quid sub nomine Objecti cognoscibilis sit intelligendum. Probandum nunc particulatim effectus scientiam Dei circa omnia recensita cognoscibilia versari, nisi propositum nostrum partim, partim pagellarum angustia brevitas admonerent, Ne autem liberaliores in Definitione, quam explicatione ejus fuisse videamur, quanta fieri poterit brevitate singula prosequemur. Diximus vero objectum scientiæ divinæ primum esse ipsum Deum. Cujus probationem statim haud levem præc. §. 13. adjecimus. Hoc saltem dubium hic eximendum erit: Impossibile videri Deum posse esse objectum primum suæ scientiæ, cum Scientia ejus, sit ipsa ejus essentia, at vero Essentiam ut essentiam, s. scientiam ut scientiam non posse esse sui ipsius primum objectum. Quam licet clarè satis dirimit Svarez (z) cujus verba adscribere non pœnitet; Ita autem ille: *In actibus s. intellectionibus creatis is a semper accidere, quia sunt actus aliquo modo effecti, vel causati ab ipsi-  
objectis, & ad ea dicunt transcendentem habitudinem, unde necesse est, ut ab ipsis ex natura rei distinguantur. Item reddi potest ratio alia, quia actus creatus non est is a immaterialis, & purus, ut posse*

Bz

secundum

secundum se totum ( ut sic dicam ) esse reflexivus in se ipsum, oportet ergo ut sit tanquam motus directè tendens in aliquem terminum à se distinctum. At vero utraq; ratio cessat in divina scientia; quia non est causata, sed per se primo & ex se talis est, deinde est immaterialissima, & perfectissima. Video se ipsa est contenta, & sibi sufficiens, sub omni ratione tam formali quam objectiva. Haecenus ille. Eandem rem latis eleganter quoque tractat Raynaudus in sua Theologia Naturali (a) cuius tamen verba non transcribere sed potius lectionem ad eundem remittere, in praesentiarum conveniet.

(2) Dissp. Met. Diss. 30. Sect. 15. n. 21. (a) Distinct. 7. Quast. 2. art. 1. n. 103. seqq. addatur Gerb. Loc. Com. Tom. 2. c. 2. n. 30. p. 18

§. 15. Stabilito sic objecto primario; Progredimur ad probationem secundarii. Hoc autem cum quidem varia constituent, ut videre licet §. præc. 13. & tamen talia sint, quorum pleraque à nemine negentur, ea propter, non illa omnia diffusius probasse, quam paucis attigisse licebit. Entia omnia finita actu existentia, & præterita à Dei Scientia nemo eximet. Neque futura, quòcunqve nomine veniant; quia Deus omnia in t<sup>em</sup>poris æternitatis suæ intuetur, quæ nullum tempus admittit.

§. 16. Nec de Universalibus dubium est; Singularia vero (particularia aliquid difficultatis hic pariunt. Et quidem ex eo capite, quia Deo indignum videatur circa vilissima & abjecta quoque versari. Hoc tamen, non minus eleganter quam feliciter, dubium solvit Francisc. Georg. Venetus (β.) ita loquens: Quæ sunt (quæso) illa vilia, quæ satius est si nesciuntur quam si sciuntur? Illa quæ non sunt, sciri non possunt: Illa quæ sunt, bona utique sunt: Si bona, quomodo vilia? Si intelligis Angelum: Cur non Cælum? Et si cælum: Cur non Hominem? Et si hominem: Cur non Elementa ubi habitat homo? Cur non equos & boves, universaqve homini ministrantia, & quæ in homine nota quædam includuntur? Et post pauca: Omnium vobis commendatur Salomon, cui cognomento Sapiens: Quia disputavit à cedro libaniusq; ad Hyfoppū quæ exit de pariete: Et qui disseravit de jumentis, Volucris, reptilibus & piscibus. Vituit ne propter hac intellectus & sapientia ejus? Quæ ita concludit: Cognoscere ergo & scriis animalia, pisciculos, vermes, formicas, & plantas, Sed cur quæ

se

So Hominem Antifitem Mundi ignorabit? Quomodo eum tanquam  
Princeps reger, providebit de necessarijs, judicabit, nisi indigentias,  
ejus omnes bene maleq, acta cognoscat?

(B) In Harmon. totius mundi Cantic. 1. Tom. 1. c. 18. p. 24. 1697  
B. Gerh. l. c. §. 29. p. 18. B. Müll. l. c. §. 119. p. m. 107.

§. 17. Maximam vero creare hic videntur difficultatem,  
illa, quæ ad objectum secundarium ultimo loco à nobis rela-  
ta leguntur, scilicet Mala. Illa sane multis peperere crucem  
paucis vero lucem. Adeo ut recensente B. D. D. Dannh  
(γ) Lombardus aliàs sapiens satis, quæ siverit: Cur in Deo ma-  
la non esse dicantur; Cum utiqve in Dei præscientia sint, quæ  
ab ipso DEO, ejusque substantia minime differat? Cui vero  
statim ex Petavio responsionem reponit: Esi in Scientia  
Dei, adeoque substantia tanquam objecta contineantur, non  
tamen sic, tanquam in subjecto, quomodo nos ista capimus;  
quoniam non in idea, exemplarique suo ac proprio compre-  
hendantur. Illa vero, quod & quomodo à Deo cognoscantur  
nunc definiendum clarius erit. Hic itaque sciendum, Deum  
non eodem, sed diverso modo hæc cognoscere: Videlicet  
Bona cognoscit immediatè & directè; [δ] Mala autem mediate &  
in directè, nimirum per suum oppositum, Bonum puta. Ne-  
que aliter se res habere potest; Est namque Malum nil nisi pri-  
vatio boni, adeoque per se non intelligibile s. cognoscibile. Ex  
hoc vero fluit liquidissime assertionis nostræ veritas. Cum  
enim dandum, Deum nosse omnium hominum actiones, hæc  
vero occupentur nonnunquam circa mala, ergo illis cognitjs  
sognoscat & objectum eorum (d) infallibilis est sequela.

(γ) Hodes. pbæn. 3. p. 219. (d) B. Müll, l. c. c. 10. §. 143. p. 109  
add. B. Gerh. l. c. p. 25.

§. 18. Quæstio hic moveri poterat: An sub omnisci-  
enita Dei Entia quoque Negativa atque Rationis cadant? Ad  
quam affirmando respondendum, cum omnibus censemus  
Hic tamen, ne videamur perfectioni Scientiæ Dei quid detra-  
here, cum utriusque generis Entia sint omnino aliquid imper-  
fecti, Dei vero Scientia sit ipsa Essentia ejus, in qua absurdum  
fit statuere imperfectionem esse, explicandum paucis erit, quo

Ba

mo-

modo utraqvè sint in Scientia Dei. Negativa quod attinet; illa sunt in duplici differentia: vel late accepta, quorum unum non est alterum ut e. g. Homo non est Equus. vel presse accepta quatenus præcise negationem alterius infert. ut lucis e. g. negatio in aëre nocturno. Utroque modo à Deo cognoscuntur (1). Idem sentimus. de Entibus rationis: Nam (ut cum Svarezio loquar (2)) intelligere omne intelligibile perfectionis est, hæc autem Entia rationis sunt aliquo modo intelligibilia, ergo ad divinam perfectionem pertinet illa etiam intelligere. Et iterum (3) Quia Deus comprehendit omnes actiones humanae Imaginationis vel rationis: Ergo comprehendit omnes actiones quæ in his potentiis esse possunt.

(1) Raynaud. dist. 8. quest. 1. art. 2. n. 40. p. 815. (2) Dispp. Met. dist. 54. f. 2. n. 19. (3) idem l. c. n. 23.

§. 19. Sequitur nunc ratio s. modus cognoscendi omnia dicta objecta. Eundem vero pro conditione objectorum hæctenus recensitorum duplicem facimus vel generalem, quod fiat uno simplici intuitu, idque ex eo probantes, quia in Deo nulla datur temporis successio; quod sit omnium perfectissimus, quod immutabilis pariter atque infallibilis: vel Specialem, & ita versatur, vel circa Deum ipsum, vel circa res actu existentes, vel circa res possibiles futuras, vel circa contingentia. Quæ omnia recensita perfectissimo modo cognoscit. Ita tamen, quod futuras possibiles attinet, ut illas, si sint absolute possibiles, cognoscat ut verè futuras; Si vero sint conditionaliter futuræ (4), & illas eodem modo sintueatur, h. e. futuras, si hæc conditio ponatur, non futuras si conditio non ponatur.

(4) Conf. Raynaud. l. c. quest. 1. art. 2. p. 792. seqq.

§. 20. Hæc vero scientia Dei, quanquam, uti dictum, in se sit una atque simplicissima, respectu tamen Objectorum recensitorum variè distingvi solet vel in Naturalem s. simplicis intelligentiæ; vel in Liberam s. personis; vel deniq. in Mediam. De quibus tamen ulteriorem considerationem instituere jam jam non datur. Finem itaqvè operi imponimus ita intonantes.

SOLI DEO GLORIA.

Clarissimo DN. M. PHRYGENIO;  
Disputationis Philosophicæ de Omniscientia Dei  
Præsidi fervidissimo  
Feliciter!

**F**rigoris asperitas dum vexat corpora, Tu non  
*Friges* † FRIGENI, mentis at † igne cales.  
Gratulor hunc ignem, qui Te super astra levabit,  
Atque sacrâ † firmum reddet in arte VIRUM.  
Flaminis omniscii Te firmos sanctior ignis,  
Sic à Te frigus, sic tepor omnis abest.

† M. Frigenius:  
*In me frigus?*  
*Ignis firmus.*

LMq<sub>2</sub>

A. D. HABICHHORST, D.

Clariss. DN. M. PRÆSIDI

**E**T Tuas, PHRYGENI, nescit latitare tenebris  
Virtus, in lucem protrahit ausa caput.  
Non vana incingi cupiebas tempora lauru,  
Impositum utq<sub>2</sub> Tibi nomen inane foret.  
Sic ardent ignes, flammaque erumpere tentant,  
Ingenii ut prodant nobilioris opes.  
Philosophum Roseæ nostræ hæc est ordinis ingens  
Gloria, quæ peperit Te, similesque Tui.  
Utq<sub>2</sub> fiet nostro posthac æterna Lyceo,  
Et Tibi, PHRYGENI, mente manuq<sub>2</sub> precor.  
ad test. affectum benevolentiss. erga  
laudatiss. conatus grat. f.

JOH. FECHT. D. PP. Consist.  
Duc. Ass. & Distr. Rost. Superint.

כְּשִׁמְעָתָּהּ דוֹרוֹ דְּבָרִים  
בְּאֵל דְּעֵרָה עָשׂוּ דְּבָרִים  
מֵאֵד טוֹב הוֹכִיחוּ לְעוֹרָם  
יָקָר גְּדוֹל לָכֵם וְקוֹלָם:


*Paucas haece lineolas ceu sinceri & propensissimi  
affectus in Clare Doctos DNN. Disputantes  
tesseram cum felicitatis omnigena voto op-  
ponit gratulans*  
JOHANNES NAPFFIUS Strafen: Megap:  
S.S. Theol. Stud,


*Gratulor his ausis, chathedrã quod scandis amice,  
Corde precor: Tibi Philosopho sit Praesidis onus!  
Sic Te commendent industria & inclita Virtus  
Nec Homo, nec unquam Numen deerit Tibi summum*

Prolixiori Affectu quam versu Clariss.  
DN. Praesidi Conterraneo suo  
Amico optimo Gratulatur.  
JACOBUS Märcker/ Fürstenb, Megap.  
S. S. Theol. Stud,









the scale towards document

non quidem est, cum non sub nomine Entis pognoscatur. Denique alii simpliciter dividunt quod rursus Deus est & quæ intra Deum sunt. intellectui Creato & materiali à Deo datum sit, sicut cognoscere, tam quoad essentiam, quam quomodo Deus se ipsum non cognosceret. rea (ut verbis Magn. nostri D. D. Wolfii utar) intelligibilia est perfectissimum, duratione suans sua perfectione ipsam potentiam & actum; *Et secundarium*, quod est omne illud quod non ipsa Essentia Dei (y). Huc spectant omnia Entia existentia, quam præterita & futura & universalia s. sint materialia, immaterialia s. bona s. mala. *ejusd. de Scient. Med. §. 12. (y) Cujusmodi divisi. exhibent B. D. D. Hein. Muller. l. c. e. 10. §. 123. p. 101. etz. Disp. Met. Disp. 30. n. 19. Raynaud. Theol. Nat. quest. 1. Artic. 1.*

Constat itaque quid sub nomine Objecti cognoscendum. Probandum nunc particulatim esset circa omnia recensita cognoscibilia veritari, nisi obstrum partim, partim pagellarum angustia breverent, Ne autem liberaliores in Definitione, ione ejus fuisse videamur, quanta fieri poterit illa prosequemur. Diximus vero objectum sciorimarium esse ipsum Deum. Cujus probationem præc. §. 13. adjecimus. Hoc saltem dubium erit: Impossibile videri Deum posse esse oborium suæ scientiæ, cum Scientia ejus, sit ipsa ejus ro Essentiam ut essentiam, s. scientiam ut scientiam esse sui ipsius primarium objectum. Quam li dirimit Svarez (z) cujus verba adscribere non autem ille: *In actibus s. intellectionibus creatis ita, quia sunt actus aliquo modo effecti, vel causati ab ipsa a dicunt transcendentalem habitudinem, unde necesse ex natura rei distinguantur. Cum reddi potest ratio s. creatus non est isa immaterialis, & purus, ut possit secundum*

Bz

secundum